



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 7. De Epiphania.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)



MEDITATIO VII.

DE EPIPHANIA.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Tres Reges ad puerum adorandum venerunt stellâ duce, attestantes: Vi- Matt. 2. dimus enim stellam, &c. Iudais eos in Bethlehem dirigentibus.*
- II. *Stella supra locum vbi erat puer consistente, intrate: Et Procidetes adorauerunt eum, offerentes illi munerâ, aurum, Thus, & myrrham.*
- III. *Responso accepto, per aliam viâ reuersi sunt in regionem suam.*

FIGVRA.

REGINA Saba commota Sapientia 3. Reg. 10
 Salomonis fama, cum pretiosis donis auri & aromatum ad eum visitandum, dicti q; donis honorandum venit.

PROPHETIÆ.

- 1. **O**rietur stella ex Iacob, & consurget Nu. 24.
virga de Israel.
- 2. *Surge illuminare Ierusalem, quia ve- Esa. 60.
 nit lumen tuum, & gloria Domini super te
 orta est.*

orta est, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.

Ibid.

3. Omnes de Saba veniunt, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

Psal. 71. 4. Reges Tharsis & insula munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & viuet, & dabitur ei de auro Arabia.

Psal. 58. 5. Omnes gentes, quas cunq; fecisti venient, & adorabunt coram te Domine & glorificabunt nomen tuum.

DOCUMENTA.

1. **N**ato Christo, statim Magis apparuit stella, veneruntque cum muneribus ad illum quarendum & adorandum.

Quando Dominus per gratiam nascitur in anima, statim immittit diuinæ inspirationis radios, quæ eum moueant ad commutandam vitam, quarendumque Christum & offerendum ei bonorum operum munera. Vnde quando nos sumus tepidi, & non vacamus operibus bonis, aut sectandis Christi virtutibus signum est illum nondum esse in nobis natum, nec nos ab eius spiritu duci.

2. Magi quarentes Christum Hierosolymis, non inuenerunt. Christus non inuenitur in magnificis palatijs, & commodis diuitum domicilijs, sed in abiecta & humili ciuitate Bethlehem. Vnde dicit ipsa Veritas, diuites difficulter ingressuros regnum cælorum; E contrario vero ait, pauperum esse regnum cælorum.

3. Herodes, ignorans quo loco nasciturus, esset Christus, consuluit Pontifices & Legis

Docto-

Doctores, qui licet Christi inimici, veritatem, confessi sunt, & locum natiuitatis indicarunt. Unde discimus, in Conscientiæ dubijs, recurrendum esse ad Prælatos & Pastores, firma in Deum fiducia freti, etiam si perversæ sint vitæ. Deum non passurum, vt in rebus ad gubernationem & directionem animæ nostræ pertinentibus hallucinentur, sed viam salutis doceant.

4. Magi relicto Herode egressi Hierosolymam, de nouo conspexerunt stellam, & ineffabili lætitia sunt perfusi. Si perfecte vis illuminari, & cor tuum vera consolatione & lætitia perfundi, quam nemo possit tibi adimere, de ere Herodem, egredere Hierosolymam, renuncia mundo & omnibus eius pompis, fuge huius periculosi sæculi tumultus, & subito tibi apparebit diuinæ gratiæ Stella, qua te comitabitur vique ad beatificam visionem tui Creatoris.

5. Magi inuenerunt puerum Iesum cum Maria matre eius, idem legitur de Pastoribus, quod inuenerint Mariam cum puero Iesu. Nō reperitur filius sine matre, nec mater sine filio. Unde intelligimus, non posse aliquem esse verum seruum Iesu, qui non sit simul deuotus Mariæ, & contra non fore verè deuotum Mariæ, qui non fuerit verus seruus Iesu.

6. Magi inuento Iesu aperuerunt thesauros suos, vt eos offerrent. Quo exemplo discimus, non aperire thesauros nostros, hoc est, publicare & ostentare virtutes nostras & gratias quandiu in via huius vitæ versamur, donec liberi ab insidijs inimicorum, & peregrinationis nostræ exitum consecuti eas offeramus soli Deo, à quo eas recepimus.

7. Magi primo supplices in terram abiecti adora-

Luc. 2.

adorarunt Christum, & deinde sua munera obtulere. Et nos si volumus operum nostrorum dona grata Deo, offeramus ei primo nos ipsos, hoc est, cor nostrum & voluntatem. De eo enim

Gen. 4. scriptum est. Respexit primum ad Abel, deinde ad munera eius.

8. Magi obtulerunt Domino aurum, thus & myrrham. Tunc Christo offerimus aurum charitatis, quando eum perfecte super omnia diligimus. Tunc offerimus Thus deuotæ orationis, quando eum benedicimus, laudamus, & agimus gratias pro acceptis beneficijs. Tunc offerimus myrrham mortificationis, quando sui amore refrenamus appetitum & desideria ordiuata carnis nostræ. Similiter tunc offerimus Christi aurum bonorum temporalium, quando illis utimur in finem, ob quem sunt condita, nempe ad nos sustentandos, & iuuando proximos. Tunc offerimus thus bonorum spiritualium, quæ sunt facultates animi nostri Intellectum scilicet, voluntatem & memoriam, quando illis utimur, in eum finem ob quem Dominus illas nobis dedit, Tunc denique offerimus myrrham bonorum corporaliū, quando custodimus nostros sensus, mortificamus passiones, & totos nos omnesque vires & actiones nostras diuino seruitio impendimus.

9. Religiosi, tribus votis Deo consecrati, tunc cum magis Christo offerunt aurum, quando per paupertatem renunciant, & perfecte expoliant se bonis huius mundi. Tunc verò offerunt Thus, quando per castitatem è corpore suo faciunt sacrificium mundum & odoriferum diuinæ Maiestatī. Tunc autem offerunt myrrham, quando per obedientiam mortificant propriam voluntatem
& iudi-

& iudicium, subiuciendo illud iudicio superioris.

10. Magi admoniti in somnis per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. Sic nos poſtquam per pœnitentiam inuenerimus Chriſtum, & conſecuti fuerimus eius gratiam, non debemus in primam viam redire, ſed mutato itinere, alia via tendere in patriam, è qua per peccatum diſceſſeramus. Patria noſtra eſt paradifus, è qua homo diſcedit ſuperbiendo, inordinatas appetitiones ſectando & adharendo rebus terrenis, ad quam reditus non patet, niſi per viam contrariam, nempè humilitatis, pœnitentiæ, contemptus, mundi, & mortificationis carnis.

MEDITATIO VIII.
DE PURIFICATIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS:

- I. *Detulerunt puerum in templum, of. Luc. 2.
ferentes ſimul par turturum, vt Deo
preſentaretur.*
- II. *Simeon in vlnas ſuas eum acci-
piens, dixit: Nunc dimittis ſeruum
tuum Domine &c.*
- III. *Anna prophetiſſa vidua vſque ad
annos 84, ieiunijs & obſecrationibus
ſeruiens Deo, omnibus loquebatur.*

B

FIGV